

blicæ Pylo præfuerat, oppidumque situ & natura communitum, hostibus nulla coactus vi obsidioneque tradiderat, in suæ navis prora supplicium sumpsit.

Ibi cognoscit Hispaniæ regum classem reipublicæ auxilio missam Zacynthum venisse. ii enim reges Aloisii Galliæ regis prædicatione permoti, qui regnum Neapolitanum bello aggredi statuisset, tum classe ab rege Thracio comparata, ne insulam Siciliam sine præsidio relinquerent, classem & ipsi confecerunt, illoque miserunt, Consalvo Ferdinando præfecto, qui bello Neapolitano dux eorum fuerat. Eam classem ut reges auxilio reipublicæ vellent esse, posteaquam suis jam finibus nihil timerent, Senatus ab iis impetraverat, Alexandro adjuvante. Ea erat navium plus quinquaginta: quibus in navibus milites imposuerant numero ad septem millia. Cognito Consalvi adventu Pisaurus Zacynthum ad illum venit: quem quidem reipublicæ magnopere prodesse cupientem cum reperisset, rebus belli rationibusque omnibus una cum illo communicatis, ex ipsius & reliquorum Hispanarum navium præfectorum, quos Consalvus in concilium adhibuerat, & legatorum sententia statuit ad Methonem recuperandam una proficisci. Eam ad profectionem atque bellum quod res multæ materiæ indigebat cum ad castella, quæ parare instituerant, excitanda, tum ad navium scaphas contegendas, quibus in primis uti decreverant; dato omnibus qui aderant jurejurando, ne quis quid enunciaret, concilio dimisso Cephallenem ad insulam, quæ sylvis admodum abundabat, uterque suam classem adduxit. Illis prope diebus cum ex Joannis Crispi, de quo dictum est, qui Naxum insulam obtinebat, liberis, is qui natus erat major, Matthæi Lauredani filiam in matrimonium duxisset, Senatui placuit, ut magistratus reipublicæ amplius eo non mitteretur, Naxiique Joannis filio jam adulto restituerentur; dum is paterni regni formam ne vellet imitari, Senatusque liberalitate ad justitiam & temperantiam uteretur. Interim autem dum ad Cephallenem materia cæditur, & turres reliquaque, quæ sane plurima ejus belli administratio requirebat, per fabros conficiuntur;